



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. III. An, & qualiter Legislatores dispensare possint in legibus à se conditis?
aut inferior in lege Superioris?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

stantijs, sub quibus sunt sub jure naturali, id quod præceptum est, nequit fieri non præceptum; & quod prohibitum, fieri non prohibitum; quod tamen evenire deberet, si cadere posset sub dispensationem. Et ideo, cum dicitur: *quilibet Legislator in lege sua dispensare potest vel per se, vel per alium*, ad summum obtinet in lege positiva, sed non *necessaria*, seu naturali, de quo plura V. l. 4. decret. à n. 2015.

1102. Quæstio est 2. *an in jus positivum divinum cadere possit dispensatio?* de dispensatione, quam facit ipse Deus, vel alius ejus nomine, non est dubium; sed difficultas est, an alicui hominum Deus communicaverit potestatem, suo (nimirum Dei) nomine, dispensandi in jure divino positivo? plures tenere affirmativam diximus l. 4. n. 2020. probabiliorem tamen ibidem n. 2021. diximus negativam, nisi in casu pro quo habetur Dei revelatio, vel Ecclesiæ autoritas, pro tali concessione summo Pontifici facta. Cujus probationem, & contrariorum solutionem dedimus *loc. cit.* à n. n. jam citato.

§. III.

An, & qualiter Legislator dispensare possit in legibus à se conditis: aut inferior in lege Superioris?

1103. DE hac quæstione plura dedimus lib. 4. decret. ubi ad 1. quæstionem respondimus, posse, nisi affectæ sint majori vinculo, ut ibidem exposuimus à n. 2030. ubi etiam retulimus casus, pro quibus ea potestas limitatur. Ad 2. quæstionem respondent aliqui, posse inferiorem dispensare in lege Superioris *non reservata*, quoties ei non est interdictum; sed l. 4. à n. 2034. tanquam probabilius amplexi sumus, id inferiorem non posse, nisi expressè, vel tacitè illi concessum sit à Superiore; ubi pariter hujus opinionis attulimus probationes, & contrariorum solutionem. Quando autem censeatur inferiori tacitè concessum, ut dispensare valeat in lege Superioris, ibidem attulimus à n. 2038. quid verò possit inferior in lege Superioris in dubio, vel casu urgentis necessitatis? constat ex dict. *ibid.*

à n. 2043.

ARTICULUS XVIII.

De passiva dispensatione legis.

1104. Quæstio est, circa quos potestas dispensandi exerceri possit? communis responsio est, eam exerceri circa subditum. Nam actus dispensationis, seu exemptionis ab obligatione legis, non minus est actus jurisdictionis, quam condere legem, & obligationem; lege inducta, imponere; eo ipso autem importat in ferente legem, vel dispensante superioritatem, & in obligando, vel dispensando subjectionem. Difficultas est, an quilibet possit se subjicere, seu inducere in se subjectionem, ut vi ejus ab illo, cui se subjicit, relaxari, aut dispensari possit in lege?

§. I.

An quilibet Superior secum dispensare possit?

1105. Quæstio est 1. an secum dispensare possit in lege propria? hæc quæstio pendet ab ista, *an Legislator ligetur legibus à se conditis?* Ad hanc quæstionem respondimus superius à n. 551. ubi diximus Legislatorem non ligari suis legibus quoad vim coactivam, sed solum directivam, non in vi talis legis, sed in vi circumstantiæ, qua posita subintret jus naturæ, adstringens illum gubernare subditos etiam exemplò. Ex hoc responderetur, posse Superiorem dispensare secum solum indirectè in lege propria, tollendò scilicet illi comprehensionem suæ personæ (hoc enim pendet ab ejus voluntate) consequenter faciendò, ne sublata circumstantiâ, à qua pendet, lex naturæ subintret.

1106. Quæstio est 2. an Superior secum dispensare possit in lege Superioris, super his, in quibus potest cum subditis, ex potestate sibi, & officio suo à Superiore commissa? R. posse, nisi expressè prohibeatur. Hanc potestatem Superior subordinato non tantum quoad suos subditos, sed etiam quoad suam personam concedere potuit; & sic factum esse, ubi non est expressa prohibitio, rationabiliter suadet ex eo, ne Superiores deterioris conditionis dicantur, quam subditi; ita Sanchez l. 8. matr. D. 3. n. 9. Suarez l. 6. de legib. c. 12. n. 12.